VIxit eheu!
BENEFACTRIX OPTIMA,
& in quietorium promota est
MATRONA,
debitam pietatem materno merita affectu.
Pollice verso iam conclamatum est.
Habet! vixit!
Cuius cineribus non fictas lacrimas devovi,
heu quam infelix vectigal!
Obiit! abiit!
MATRONA BENEMERITISSIMA,
Generosis parentibus prognata,
vestigia maiorum ita impressit:
ut heroicas virtutes non tam didicerit,
quam ex natura ipsa hauserit:
usu paraverit, quam arripuerit:
ad easq; non tam docta, quam facta:
nec instituta, sed imbuta visa fuerit.
Non ad luxum & desidiam,
sed pietatem & virtutes omnes liberaliter educata.
Faventibus Diis connubialibus,
elocata feliciter
GENEROSO AC NOBILISSIMO DOMINO
GEORGIO ERNESTO LICHTEFUSSIO,
HEREDITARIO IN OLKOWO,
Patrono meo gratiosissimo,
Analysin eius nunc impense dolenti.
Habebat quippe in ea LUCRETIAM pudicam:
Sapientem ABIGALEM:
Consultam Oeconomiæ MARTHAM.
Maritum, non se sentientem ARRIAM:
Facundam, magnanimam, venerabilem CORNELIAM,
quæ fasces & sceptra marito relinquens,
administrationem rei Oeconomicæ ad se traxit;
onera communicavit, solatia dedit.
Vidisses in ea,
non imperiosam Pollam, morosam Papyriam, rixosam Afraniam:
Sed Saræ humilitatem, Rachaelis frugalitatem,
Thabetæ benignitatem, Susannæ castitatem.
Atque ita coniugium amplissimum, iucundissimum, felicissimum.
Vidisses quotidie mecum in ea virtutum omnium delubrum:
Simplicitatis candorem, verecundiæ ruborem, manuum pedumque laborem.
Vidisses sapientiam, qua rerum momenta acute scivit expendere:
ambigua causarum prudenter dirimere:
domesticis, subditis, inopi, ius suum tribuere.
Vidisses pietatem, qua crebra verbi divini auditione,
iugi divinorum meditatione,
assidua sacrorum lectione luxit, præluxit.
Vidisses animi tranquillitatem, mentis æqualitatem,
quibus fluxorum blandimenta despiciebat,
fortunæ fulmina contemnebat,
invidiæ stimulos negligebat.
Vidisses liberalitatem, dum esurientes pavit, sitientes refecit,
iacentes erexit, ægrotantes adiuvit, nudos vestivit.
Vidisses non superbam Claudiam, sed omnibus BENIGNAM:
facie liberalem, familiarem, affabilem.
Vidisses patientiam, variis liberorum fatis probatam,
quam æquo animo semper sustinuit:
rata, præsentis temporis passiones, futuræ gloriæ minime pares.
Vidisses tandem finem, qui DEO eam commendavit.
Diutius vivere noluit, mori discupiit.
Quod ergo petiit, invenit, impetravit, accepit.
Satis naturæ, satis famæ, annos LXIV. vixit, implevit.
MOLLITER OSSA CUBENT.

Benefactrici suæ optimæ, lugens mq; p.
CHRISTIANUS NEISTIUS,
Transylvanus.